

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI MONARCHÆ, CAROLI, DEI GRATIA, MAGNÆ BRITANNIÆ, GALLIÆ, ET HIBERNIÆ REGIS, *FIDEI DEFENSORIS*, &c.


COMITIA, Calata, Pacifica, SCOTICANA, EDINI habita, Menſe Iunio, CIↃ DC XXXIII.

Authore Georgio Robertſono, Abredonano.

Si fieri poſſet, quantum in vobis eſt, pacem cum omnibus habete.



ABREDONIÆ,
Excudebat Edwardus Rabanus. 1633.



MVSARVM PATRONO
BENIGNISSIMO, ABREDONENSIUM PRÆFECTO PRUDENTISSIMO, DOMINO PAULO MENEZIO, D. à Kinmunde,
S.

REGIS Pacifici funera, qui priùs
Deflesti; CAROLI, nunc hilaris, vice
Versâ, regia magni
En, COMITIA Principis
Depingis: comites aucta per optimos
PACIS, (sepositis MARTIS honoribus
Nondum) gaudia chari
Ob Regis reditum canis
MUSARUM decus, & Pacis amabile;
Cingis, Palladiâ fronde, comam tuam,
Suffulcis BON-ACORD, &
Cives unanimes facis.
Ad te confugiunt, accipe carmina
MENEZI facilis; perlege, nam colunt
Te, Pacis studiosum,
CORDIS, præsidium BONI.

T. S. Addictissimus,

G. ROBERTSONUS.





COMITIA CALATA
SCOTICANA.

CHristicolas inter, quid bellum concitet; almam
De Cœlo, Pacem ad terras, pia Numina mittũt
Spectatum: cæcos populi, mutare tumultus,
In placidam requiem; pacis præscribere leges
Æternas, dirum Martis transferre furorem,
In Turcas sævos, à membris mitis IESU
Hortantur. Citiùs dicto, secat aëra pennis,
Pax monitis parens, terras lustraverat omnes:
Vndique dissidium, lites, præsagia belli
Crebra, sibi nusquam sedes, sed prælia cernit:
Gentibus, hæc gentes, Pax implacabile bellum
Indixisse videt, populi, Regumque ruinam:
Cladibus his belli occurrens, Pax optima multis,
Membra diu distracta, sagax unire laborat:
Ast quibus utatur mediis, ignorat (amica
Omnibus) ut corpus capiti conjungat IESU;
Æstuat instabilis, nunc huc, nunc fluctuat illuc,
Impatiens belli, partes se versat in omnes:
Inventâque viâ tandem, quâ, fœdere jungat
Perpetuò Reges, statuit Comitia pacis,
Cunctis, quæ CHRISTUM recolunt, indicere regnis:
Verùm, quo melius, fungatur munere cœpto,

Omnes per gentes, Pacis dispergit alumnos;
Conciliis adsint qui Regum, mentibus aptent
Bellorum finem, constantem Pacis amorem:
Per Cimbros, *hi diffusi*, Batavos *&* Iberos,
Et Gothos *hostes Aquilæ, sævoque Draconi:*
Pro se quisque, piam Pacem, præferre jubentur.
Ipsa, Britannorum, felix consedit in oris:
A quibus, hæc voluit, fieri primordia Pacis,
Gentibus externis, perculsis cæde virorum.
Concilium, Martis commotus cladibus Anglus,
Ancipitis Iani, prudens in mense coegit:
Compositis illic, cunctis pro tempore rebus,
Ad Scotos, *se Pax vertit, præsaga futuri.*
Insinuata bonis, diri dat tædia Martis,
Propositique memor Pax, cùm Comitia Regis
Instarent, (tempus speratum) & mensis adesset
Iunius, hæc magnâ, procerum comitante catervâ,
Infert se sociam, Scotis *Concordibus ipsam.*
Magnates regni, primique ex urbibus, omnes
Certatim Edini*, proceres cum Rege, frequentes*
Convenêre, die dicto, coit omnis in unum,
Regius hìc cœtus, non tam Comitia, chari
Visurus populi, quàm CARLUM *numine Regem*
Divino Anglorum, Scotum, *diadema paternum*
Gestantem, claro suffultum stemmate, Regum
Scotorum, *populo fas, & moderamen avito*
Dicentem e solio, primorum ritè vocato
Concilio, quos inter, erat Menezius *heros*
Abredonanus, *sua dans suffragia, legum*
Præscriptis, qui cuncta bonis memoravit amicis
Civibus, & fastis, arrepto tempore, scribi
Iussit, ut immemores nulli, post sera nepotum
Secla forent, quorum paucis, describitur ordo.
Occurrunt ergo proceres, in limite Regni

Regi, gratantur reditum, reducemque ſalutant,
Lætitiâ affecti magnâ, plauſuque ſecundo,
Intento Regi, demiſsâ hæc voce loquuti.
SALVE, *certa ſalus Patriæ, ſolamen avitæ,*
Progenies, Regum clarorum maxima, SALVE
Sol Boreæ, tenebras pellens, & frigora, Scotos
Luce, calore fovens, vitæ poſt bis tria luſtra,
Exoriens iterum, diffuſo lumine, charam
Ad Patriam remeans, placidâ quam fronte ſerenas,
Expectatus ades, Rex formidabilis orbi:
Te, grandes natu proceres, generoſa juventus,
Iuſtitiæ celebris, geminæ Collegia ſedis,
Et Bon-acord *Vrbis Conſul, totuſq́; Senatus*
Te ſalvere jubent Dominum, Regemq́; potentem,
Tutamen Patriæ firmum, charumq́; parentem:
Submiſsi, genibus flexis, manibuſq́; ſupinis,
Excipiunt hilares te, & lætâ voce ſalutant.
Te, Patria ambabus charum complectitur ulnis.
Læta fovens gremio, fragrantem exhalat odorem:
Et circumfuſis, ambit te floribus, auſa
Compellare ſuum patrem, ſermone modeſto.
En, ſimulatq́; pedum, tetigiſti limina plantis
Scotorum, *Zephyri ſpiravit gratior aura,*
Cæleſti, ſegetes humectans rore, rigavit
Imber, Sol frugum proventum, clarior auxit:
Et ſequitur pleno, Princeps te, copia cornu,
Ditis Amalthææ, quò te ſors cunque vocavit.
VIVE memor Patriæ charæ, fineſq́; tuere,
Hoſtis ab incurſu diri, ſæviſq́; tyrannis,
Nate DEO, *magno nec enim, ſine numine divûm,*
Tu, Regni perſtas moderator triplicis, unus
Prudens OEconomus, *ducens ab origine Regum*
Bruſſorum *regimen, felix à prole* Fleanchi
Cognomen, decus egregium Banchonis, *in omne*

Ævum, perpetuos quod jam duravit, ad annos
Sex centum, perstátque virens, te sospite semper
Florebit, gliscens per secula sera nepotum.
Morigeros cernis proceres, populúmque sequacem,
Publica, qui semper curant, & commoda regni,
Privato, anteferunt lucro, primoribus illis
Consule, tu nostræ columen, Rex optime vitæ:
S*ALVE noster Amor, succede penatibus, vltro*
Nativis. Proceres Patrio, Rex ipse vicissim,
Amplexu excepit, dictis ita fatur amicis,
Scotorum *sedes video, vultúsque meorum,*
Agnosco lætus, Regni tutamina prisci
Firma, viros in pace bonos, & robora Martis:
Exoptata mihi tellus salve, mea cura
Prima, Viri fortes, Cives salvete fideles;
Prosperet adventum, faveat fortuna precamur
Cæptis, ad dignos, perducant numina fines.
Nec minus ardebat C*AROLUM, plebs* Scotica *Regem,*
Quàm proceres, animi retegens ferventis amorem.
Qualis in absentem, sponsæ, solet esse maritum,
Primus amor, charis quærentem commoda gnatis,
Exacto, crescit longo sed tempore major,
Si reducem videat, gnatos & tecta tuentem,
Tum petit amplexus; sponso & dependet ab uno:
Talis amor populi in Regem, cum principe talis
Congressus, deamant omnes, nutúmque sequuntur.
Interea pubes regali Scotica, *pompæ*
Immiscens sese, Regem comitatur, euntem
Edinum, *Regi charam, regnoque minacem*
Metropolin, *Regum donis, opibusque potentem:*
Huc vbi deveniunt, portæ panduntur, & vrbis
Obvius it C*AROLO præses, clavesque tetendit*
Supplex, primatum Regi, regimenque suorum
Tradens, Patricios *inter, civesque togatos,*

Adstans

Adstans, extemplò Regi, sic ore profatus.
In cunis, dixisse ferunt, Rex inclyte parcas,
Cùm CAROLUS *mundo*, Francorum *maximus heros,*
Ortus erat, (non hic Regnum nascetur ad unum)
Hoc, de te, dici posset, non nasceris unum
Ad regnum, nam trina tibi sunt florida CARLE,
Vrbes innumeræ, cives qui quidlibet audent,
Pro Patriæ famâ charæ, Regisque salute,
Edinum, *hoc proceres spondent, & mobile vulgus:*
Perge, age, paciferis rege rex virtutibus orbem;
Consilio fultus prudentum, & Marte secundo,
Te, quocunque vocat Regem fortuna sequemur.
His Paulus, Bon-acord *Consul* Menezius *urbis,*
Subjecit pauca hac, simul ac data copia fandi:
Quid tibi, tot Regum, repetenti exempla potentum,
Majores referam? quos solus maximè princeps,
Omnigenâ, præstas Reges virtute priores,
Majestas, stabili referens bonitate parentem,
Augustum cepit, fausto sub sidere nomen,
Imperii omen habens, certis ut creditur astris:
Defensor Fidei, regni Rex triplicis, unus
Es Pacis, Martisque decus, Rex maxime, cives
Nos, Abredonâm, *musis suffulcis, & armis:*
Quam villam accepit, statuitque Gregorius *urbem*
Primus, & erectam, pòst magnificentia Regum
Scotorum, *variis ditavit regia donis:*
In quam, plura potes Rex his, conferre benignè,
Si placet; & sat habent, urbis te sospite cives:
Pace tuâ, gaudet Bon-acord, *Respublica Pace*
Florens, perfruitur requie, terrâq; mariq;.
En tibi nos, urbem, Patriam committimus omnes,
Hæc animi grati, Princeps cape pignora nostri:
Vtere sorte tuâ, datur aucta, prospera semper
Virtuti fortuna Comes; *majora supersunt*

His, tradenda tibi, Rheni *quem suspicit heros;*
Augustum, quem fata vocant, timet acer Iberus.
His dictis, magno resonant, ex arce, fragore
Bombardæ, pulvisq́; globis immistus, ubique
Sulphureis volitat, crebris micat ignibus æther,
Concutiturq́; solum jaculis, & tecta domorum
Alta tremunt, oculis visus non, auribus, est vel
Auditus, pulvisque diem, caligine fuscat:
Hinc, lecti juvenes, confestim, compita firmant,
Armis conspicui pulchris, scloppisque parati,
Signum expestantes, quo facto, tessera, cives
Per medios transit, sonitum dat buccina raucum:
Arma, viri fortes, lychnos aptate, decorus
Ductor ait, simul hoc; partes jaculatur in omnes:
Inque vicem subeunt, primis, statione remissâ
Succedunt alii semper, sociosque sequuntur:
Scloppis displosis toties, ferit aëra vastum,
Dissultans crepitus, multiplex redditur echo
Ædibus ex amplis, & Regia tota coruscat.
Ætnæos credas fratres, aut cudere ferrum,
Crebra Iovem nimbis, aut fulmina mittere nigris,
Sic geminant juvenes sonitum, ingeminantque vicissim.
Ducitur interea, longo Rex agmine, sedes
Ad sacras, ubi stat regali Regia luxu:
Magnificoque domus solio decorata, Tribunal
Sustinet, ad laquear, gemmis, auroque refulgens.
Ars hominum, gradibus senis, hoc cinxit, utrinque
Bis totidem, rabidis feritate leonibus auxit
Marmoreis, fulvo circùm rutilantibus auro.
Iustitia, *&* Pallas *stant hinc*, Clementia *at illinc,*
Et Bellona *potens, quam* Pax *complectitur adstans.*
Non, structura Throni, Salomonis *eburnea talis,*
Assueri *aut fuerat Regis*, Ninive *potentis,*
Est qualis CAROLI *fabrica, & præstantia sedis.*

Atria

Atria tum ſubeunt Comites, ſublimia, ſummi
Ordinis, ac Aulæ illuſtris, loca ſingula, certis
Præſidiis firmant, vigili, cuſtodia curæ eſt.
Privatim demum, referunt ſuffragia, rebus
De variis, Regníque ſtatu, Regíque coronâ
Tradendâ, bellique malis, & Pace ſequendâ.
Pòſt vbi digreſſi, primis ſe ſedibus aptant
Nobilium primi, Regum de ſanguine nati,
Cultores divûm, venerandus Epiſcopus, Abbas,
Præſul, Doctores veræ pietatis amantes.
Hìc, bonus in ſacrâ, ſeſe Levinius *æde*
Siſtit, Hamiltonus *claris oriundus ab* Anglis,
Huntilæus *amor Boreæ, Fidúſque Comarchus,*
Gordonidûm *clarus Princeps,* Murravius *acer,*
Sanguineóque jugo flagrans Errollius *Heros,*
Kethus, Areskinus *prudens,* Duglaſſius *audax,*
Monſroſius *cum* Melroſio, *ſtat* Scotus *honorus,*
Et plures alÿ; quorum proſapia Regi
Nititur, hìc Clerus, Baro, Civéſque fideles,
Auratiq; ſuis Equites, in ſedibus, omnes
Inclinant: Kethus *pulchro quos ordine, rexit*
Martius, *& propriâ Comites in ſede locavit.*
Hos inter, CAROLUS, Scotis *ſpectantibus, unus*
Aureus incedens, Comitum perſtrinxit ocellos,
Inſertis auro gemmis trabeatus, amictu
Argenti texto filis ſuccinctus, in oſtro
Purpureo, aſterÿs Rex ſplendens, vnio quarum,
Hexecontalithos, Adamantem, luce coruſco
Ætiten, ſagdas, certabat vincere raras,
Beryllos, ammochryſos, virtute ſmaragdas.
Rex quibus ornatus, radiabat lumina plebis,
Pacifici Regis gnatus, ſucceſſor, & hæres,
Triplicis, illuſtris Regni Rex, atque Monarcha.
Aureus exoriens, ut Sol, ſplendore Planetas

 Præcellit

Præcellit reliquos, tenebrasq; repellit opacas,
Splendorem comitum, vicit sic gloria Regis:
Dignus ad occasum Rex, qui moderetur ab ortu
Solis, & à Thule, qui temperet usque tridenti,
Ad Gades orbem, dignus Diademate Patris:
Dignus qui præsit Scotis, & rudera chari,
Sparsa Palatini, reparet contermina Rheno.
Vt consummetur crescens decus, ardet inungi,
Scotorum, CAROLVS Magnus Rex, auspice CHRISTO:
Ergo ensem manibus, Sceptrum, Diadema decorum,
Prætendens custos, tunc Archiepiscopus, almum
Alloquitur Patriæ Patrem, sic ore profatus.
Maxime Rex Regum, debentur jure paterno,
Regna tibi soli, divino numine, trina;
Obsequium tibi nos debemus, tu quoque Scotis
Præsidium debes, rebus solamen in arctis,
Conciliare tuis, debes Rex inclyte Pacem,
Consiliis uti prudentum, commoda plebis
Prospectare, malum propellere, corde virili:
Hæ Regum vires, sunt hæc fundamina Regni,
Hoc columen populi, constans, hæc vincula plebis,
Hæc Reges fecêre, quibus felicia regna.
Verùm tanta tibi, juvenili in corpore, virtus
Enitet, in dictis gravitas, constantia in actis.
Enthea vis, sanæ mentis, prudentia cordis,
Ingeniumq; sagax, vires, quæ pellere possent
Hostis conatus; pacem proponere firmam,
Scotorum genti, privata rependere damna.
Dotibus his fidens, Pacem speravit, & urget
Europa optatam, per te, ne pascat inanem
Spem, bello ruptas, firmato fœdere gentes.
Quod nostrum est; vitam, fortunas, quicquid habemus,
En! tibi pro Patria nos solâ pace vovemus.
Si fieri posset, pacem Concordia præstet

Gentibus

Gentibus externis, vigeat Respublica Pacis,
Hanc, DEUS immisit terris, ut sanguine nemo
Fœdaret sese fratris, quam poscis & ipse:
Invitum sed te, Regum ter maxime, fecit
Participem belli, FRIDERICI *martia virtus*
Principis, hunc primùm vexavit sæva tyrannis
Cæsaris, inde Danos, *nunc bella timenda geruntur*
Fatalis Gothi, *magno molimine,* Captæ
Sunt Aquilæ, *quamvis cum cæde, potentis*
Gustavi *Regis, quem cassum lumine, gentes*
Tot sociæ, meritò deflent, multaque phalanges
Scotorum, *fuerat cujus mors, maxima clades*
Victorum castris, luctus nostratibus ingens
Extitit, ad summámque rei, non est leve victis
Momentum, Suevis *faveat fortuna precamur.*
Ipse Palatinis Rhenanis, *sentiat hostis*
Te superesse tuis columen, pulchræque sorori,
Et gnatis charis orbatis patre, renatum
Præsidium, quorum res, & spes una recumbit
In solum te, tu vires, animúmque ministras
Omnibus his, solus, Fidis das omnia Scotis,
Divitias, decus, & pacem, cum terra rubescat
Saxoniæ, *& madeat clarorum sanguine Regum:*
Eia, age, Rex sequitor Pacem, vestigia magni
Observanda premens Patris, certamina martis,
Consiliis Rex tolle tuis, nec parta cruore
Regna, sinas iterum, multorum cæde revelli
Invicte; ut gentes Scotos *vereantur, honorent*
Externæ: Bohemis *referet sic, omnia tempus*
In melius; fies diris, tu terror Iberis,
Terribilis Papæ sociis, charúsque Britannis.
Hoc ut nunc præstes, cunctis, bonus excitat intus.
Te genius, Rex magne, lares hi, turma potentum
Anglorum, Scoti *proceres, & clarus* Hibernus.

Quod superest, sacro Capiti, Diadema paratum,
Quod geßisse ferunt, per tot jam secula, Reges
Sceptrigeros Scotos *(parvo non constitit) ense*
Hoc, Martis rabiem contra, munitur acuto
Ancipiti, Scotos *ne vexet sæva tyrannis.*
Regum sævitia, est bellum. Clementia *verò*
Incerti populi, constantem præstat amorem.
Nemo, suo tutus merito Rex, indiget ullis
Præsidiis clemens, sed cùm res postulet, arma
Nunc ornamenti causâ, nunc promptus in omnes
Eventus habet, ut fidos tutetur amicos,
Et Patriam charam, audaces ut subjuget hostes.
Triplex officium, sed signant symbola trina
Hæc, populo Pacem demonstrant sceptra, sed ensis
Iustitiam, regimen clarum, diadema virorum:
Te conferre bonis Pacem, sic plectere iniquos
Suadent, ut regni serves moderamen avitum.
Et distincta licet, sint in se, munia trina;
Regibus in cunctis, tamen hæc conjuncta coibunt:
Exuere hi vellent ni sacri nomina Regis,
Quod DEUS *avertat; nam Rex præponitur unus*
Civibus, a CHRISTO, *princeps qui Pacis habetur,*
Et legum lator summus, moderator & æquus:
Consimilis fias illi, regnare potenter
Si cupias, puram, ac sanam servare memento
Usque fidem, & populi fastum frænare rebellem.
Est contrà, plebis munus, parere libenter
Nativo regni Regi, Patriæque parenti.
Hoc ad præstandum astricti (de more recepto)
Rex, sacramento magno, cum plebe vicißim,
Omnipotente DEO *coram, cœtuq; virorum:*
Progreditur tandem, perfundens chrysmate mystes
Lustrali, cinxit CAROLI, *diademate sacrum*
Ritè caput; Felix quod sit, faustumque *precatus:*

Divinos

Divinos hymnos, dulci modulamine, vatis
Psalmographi, cecinère chorus, mystæq; canori:
Plebs adstans, tollit tales ad sidera voces,
Vivat Rex CAROLUS, *magnis semperque* Britannis
Imperet, & nati natorum, secula mundus
Dum volvet, Patriæ teneant moderamen avitæ:
Hæc ubi dicta dedit populus, clangore tubarum
Audito, increpuit sonitu bombarda repente,
Dissultant scloppi juvenum, cælumque remugit:
In triviis structus, pellucet plurimus ignis,
Lætanturque focos circum, tædasque ferentes
Exultant cives, Saliorum more decenti:
Flammiferas demum, Vulcani *viribus, artes*
Proponunt, noctu stellarum luce videndas:
Cum Leopardo acres videas junxisse Leones
Vnanimes, Aquilam contra, regnare volentem:
Ore fero flammas, sævum eructare Draconem,
Horrentem rigidis squamis, setisque Medusæ:
Hostiles acies consertas, spicula Martis
Vibrantes, Pacem mediis in millibus, unam
Cernere erat, belli tentantem tollere causas,
Et finem pugnæ fessis dare, fœdere facto:
Hinc ubi perversam, flexit Concordia turbam,
In partesque suas, traxit Pax *aurea, tela*
Vibrat ad Auroram surgentem, exercitus omnis
Pertransitque citò: belli tractura procellam
Creditur, in Turcas *diros* Pax, *Dî benè vertant,*
Avertantque feros enses, a corpore CHRISTI,
Lætitiæ, sint fausta bonis, hæc omina Scotis.
Aurora interea radiis lustraverat orbem,
Rege coronato, celebrant comitia, clari
Magnates populi, CAROLO *sub præside summo,*
In quibus, illustris regni moderamen avitum
Servatur, legesque novæ, veteresque rogatæ:

Legibus his latis, solio Rex fatur ab alto,
Ex animo, *laudare* DEUM *se dixit (vt æquum est*
Scotigenas *omnes) firmâ pro pace suorum,*
Posse suos passim, ferro proscindere terram
Intrepidè agricolas, & molles carpere somnos,
In campis placidè, fas, & jus dicere plebi
Æquos prætores, quos nusquam classicus horror
Terreat attonitos, rabies aut martis anheli,
Bellatoris equi aut fremitus, cædésve virorum:
Et curaturum semper, pro viribus, aucta
Ne detrimentum, capiat Respublica quodvis
Scotorum, *quamvis sævis Mars increpet armis,*
Per gentes quasdam, quà Phœbus surgit Eous.
Ex bello pacem fieri, nunc bella Minervæ
Consilio, ex æquis causis suscepta, gerenda
Esse, bonos omnes se scire, trophæa parentum,
Et Patriæ decus, (vt vitam) se velle tueri.
Assensère viro proceres, CHRISTVMque precati
Vnanimes, Regum, qui quò vult, corda potentum
Dirigit, vt CAROLI vertat Cor, ad optima quæque,
Quo præstans gentes celebretur fama per omnes.
Leges inde ferunt, de Relligione tuendâ
Sincerâ, ne quis, puri inter semina verbi,
Dissidij lolium, spargat Papista malignus,
Sancitis divûm sacris, rebúsque peractis,
Quæ populi requiem curant, Comitia tandem
Solvuntur, proceres surgunt, ædemq; relinquunt
Regalem, & Regem nudato vertice stipant.
Turba domum, & Cives redeunt, indagine factâ,
Pars procerum cingit saltus, canibúsque fugaces
Venatur cervos, Anglorum *at turma studebat*
Spectatam BON-ACORD Vrbem, Civésq; videre:
Hìc vbi se sistunt Comites; humaniter omnes
Accepit CONSVL prudens, variisq; refecit

Vrbis

Vrbis lautitiis, habito sermone subinde,
De bello, & pacis fructu, Regísque salute
Omnibus optandâ Scotis, *qui prospicit vnus*
Illorum paci, decus & tutatur avitum.
Lustrato emporio, campis, fluviisque, Britanni
Sæpe valere jubent BON-ACORD, *Civésque virorum*
Delicias, titulis Pacis quos Fama beavit.
Sic adeunt hilares Regem, cui singula narrant
Anglorum *proceres. At Rex majora volutat*
Pectore, Londinum *properans, sedes ad avitas*
Tendit iter, gestis nutantem vt temperet orbem.
Neptunus *veluti,* Tamesi, Dævâque *relictis*
Ad tempus, dilecta Deæ, Forthæque *fluenta*
Invisens, Irim prudens conscendit aquosam:
Hinc, rapidos Nymphis, stagnantes reddidit amnes,
Nereidum *cætus, tacitis vt luderet vndis.*
Sed simulac sensit Tiberim, *rupisse marinos*
Fluctus, Danubium, *ac* Rhenum *superâsse potentem,*
Et freta velocem pertransivisse Danorum,
Fluctibus immersit sese, Tamesimque *recepit:*
Hinc subitò, flatus violentos sustulit Euri,
Oceani furias, nutu compescuit omnes,
Ac Maris infregit murmur, sævóque tridenti,
Neptunus tumidas Tiberinas *reppulit vndas.*
Haud secus, ad Scotos *venit, Sceptroq; potitus*
Londinum *tendit* CAROLUS, *Comitesq; sequuntur*
Nobilium proceres, vt Pacem, Marte ministrent.
Ast, belli vexata malis, PAX alma nefandi,
Inter spem stetit, atque metum jactata, periclis
Tot Martis labefacta, per extera Regna furentis,
Hortatu tamen illa Deûm, precibúsque bonorum
Erexit sese, mentem, virésque resumpsit
Majores, Cives BON-ACORD *PAX auxit honoros*
Vnitos stabili nexu, fovitque benigna.

Tunc chari placidè sequitur vestigia Regis
Musarum comitata choro. Cum Rege Britanni
Progreßi, *indigenis* Scotis, Anglisque *valere*
Iußis, Londinum *redeunt Pacemque reportant.*
Prosperet his reditum, faveat Fortuna precamur
Cœptis, ad dignos perducant numina fines.

Regis cor, quocunque vult,
inclinabit DEVS.



7h